

# Bijlage VWO

# 2010

tijdvak 1

**Latijn**

tevens oud programma

**Latijn**

---

Tekstboekje

## Tekst 1

---

*Cicero vraagt Clodia hoe hij haar moet toespreken.*

1 Sed tamen ex ipsa quaeram prius utrum me secum severe et graviter et prisce  
2 agere malit an remisse et leniter et urbane. Si illo austero more ac modo, aliquis  
3 mihi ab inferis excitandus est ex barbatis illis, non hac barbula qua ista  
4 delectatur sed illa horrida quam in statuis antiquis atque imaginibus videmus,  
5 qui obiurget mulierem et qui pro me loquatur ne mihi ista forte suscenseat.  
6 Exsistat igitur ex hac ipsa familia aliquis ac potissimum Caecus ille; minimum  
7 enim dolorem capiet qui istam non videbit.  
8 Qui profecto, si exstiterit, sic aget ac sic loquetur: 'Mulier, quid tibi cum Caelio,  
9 quid cum homine adulescentulo, quid cum alieno? Cur aut tam familiaris fuisti  
10 ut aurum commodares, aut tam inimica ut venenum timeres? Non patrem tuum  
11 videras, non patruum, non avum, non proavum, non abavum, non atavum  
12 audieras consules fuisse; non denique modo te Q. Metelli matrimonium tenuisse  
13 sciebas, clarissimi ac fortissimi viri patriaeque amantissimi, qui simul ac pedem  
14 limine extulerat, omnes prope cives virtute, gloria, dignitate superabat? Cum ex  
15 amplissimo genere in familiam clarissimam nupsisses, cur tibi Caelius tam  
16 coniunctus fuit? Cognatus, adfinis, viri tui familiaris? Nihil eorum. Quid igitur  
17 fuit nisi quaedam temeritas ac libido?

*M. Tullius Cicero, Pro Caelio 33-34*

## Tekst 2

---

*Cicero gaat in op de aanklacht over het gif.*

1 Sed tamen venenum unde fuerit, quem ad modum paratum sit non dicitur.  
2 Datum esse aiunt huic P. Licinio, pudenti adulescenti et bono, Caeli familiari;  
3 constitutum esse cum servis ut venirent ad balneas Senias; eodem  
4 Licinium esse venturum atque eis veneni pyxidem traditurum. Hic primum illud  
5 requiro, quid attinuerit ferri in eum locum constitutum, cur illi servi non ad  
6 Caelium domum venerint. Si manebat tanta illa consuetudo Caeli, tanta  
7 familiaritas cum Clodia, quid suspicionis esset si apud Caelium mulieris servus  
8 visus esset? Sin autem iam suberat simultas, extincta erat consuetudo,  
9 discidium exstiterat, hinc illae lacrimae nimirum et haec causa est  
10 omnium horum scelerum atque criminum.

11 'Immo' inquit 'cum servi ad dominam rem totam et maleficium Caeli detulissent,  
12 mulier ingeniosa praecepit his ut omnia Caelio pollicerentur; sed ut venenum,  
13 cum a Licinio traderetur, manifesto comprehendi posset, constitui locum iussit  
14 balneas Senias, ut eo mitteret amicos qui delitiscerent, deinde repente, cum  
15 venisset Licinius venenumque traderet, prosilirent hominemque  
16 comprehenderent.' Quae quidem omnia, iudices, perfacilem rationem habent  
17 reprehendi. Cur enim potissimum balneas publicas constituerat? In quibus non  
18 invenio quae latebra togatis hominibus esse posset. Nam si essent in vestibulo  
19 balnearum, non laterent; sin se in intimum conicere vellent, nec satis commode  
20 calceati et vestiti id facere possent et fortasse non reciperentur, nisi forte mulier  
21 potens quadrantaria illa permutatione familiaris facta erat balneatori.  
22 Atque equidem vehementer expectabam quinam isti viri boni testes huius  
23 manifesto deprehensi veneni dicerentur; nulli enim sunt adhuc nominati. Sed  
24 non dubito quin sint pergraves, qui primum sint talis feminae familiares, deinde  
25 eam provinciam susceperint ut in balneas contruderentur, quod illa nisi a viris  
26 honestissimis ac plenissimis dignitatis, quam velit sit potens, numquam  
27 impetravisset. Sed quid ego de dignitate istorum testium loquor? Virtutem  
28 eorum diligentiamque cognoscite. 'In balneis delituerunt.' Testes egregios! 'Dein  
29 temere prosiluerunt.' Homines temperantes! Sic enim fingitis, cum Licinius  
30 venisset, pyxidem teneret in manu, conaretur tradere, nondum tradidisset, tum  
31 repente evolasse istos praeclaros testes sine nomine; Licinium autem, cum iam  
32 manum ad tradendam pyxidem porrexisset, retraxisse atque ex illo repentino  
33 hominum impetu se in fugam coniecisse.

*M. Tullius Cicero, Pro Caelio 61-63*

### Tekst 3

---

1 Miser Catulle, desinas ineptire,  
2 et quod vides perisse, perditum ducas.  
3 Fulsero quondam candidi tibi soles,  
4 cum ventitabas quo puella ducebat  
5 amata nobis quantum amabitur nulla.  
6 Ibi illa multa cum iocosa fiebant,  
7 quae tu volebas nec puella nolebat,  
8 fulsero vere candidi tibi soles.  
9 Nunc iam illa non vult: tu quoque impotens, noli,  
10 nec quae fugit sectare, nec miser vive,

- 11 sed obstinata mente perfer, obdura.  
12 Vale puella! Iam Catullus obdurat,  
13 nec te requiret nec rogabit invitam:  
14 at tu dolebis, cum rogaberis nulla.  
15 Scelestas, vae te! Quae tibi manet vita?  
16 Quis nunc te adibit? Cui videberis bella?  
17 Quem nunc amabis? Cuius esse diceris?  
18 Quem basiabis? Cui labella mordebis?  
19 At tu, Catulle, destinatus obdura.

*Catullus, Carmen 8*

## Tekst 4

---

*Uit de oudheid is op naam van Cicero een redevoering overgeleverd waarin Cicero zich verdedigt tegen verwijten aan zijn adres. Hierin komt de volgende passage voor:*

- 1 Door mijn kwaliteiten blink ik uit boven mijn voorouders, zodat zij, als zij  
2 vroeger niet beroemd waren, dankzij mij alsnog beroemd worden. (...)  
3 Het is immers beter door mijn eigen prestaties uit te blinken dan dat ik profiteer  
4 van het oordeel over mijn voorouders, en zo te leven dat ik voor mijn  
5 nakomelingen de eerste man van adel en het voorbeeld van deugd ben.

## Tekst 5

---

*Toen Verres stadhouder van Sicilië was, werd door zijn toedoen een aantal scheepskapiteins ten onrechte ter dood veroordeeld. Verres werd na zijn terugkeer in Rome door Cicero aangeklaagd. Onderstaande tekst is een passage uit de aanklacht die Cicero tijdens het proces heeft uitgesproken. Hierin vertelt hij aan de rechters hoe gruwelijk het lot van de scheepskapiteins en hun ouders was.*

- 1 Includuntur in carcerem condemnati. Supplicium constituitur in illos; sumitur  
2 de miseris parentibus nauarchorum: prohibentur adire ad filios, prohibentur  
3 liberis suis cibum vestitumque ferre. Patres hi, quos videtis, iacebant in limine;  
4 matresque miserae pernoctabant ad ostium carceris ab extremo conspectu  
5 liberum exclusae, quae nihil aliud orabant nisi ut filiorum suorum postremum  
6 spiritum ore excipere liceret. Aderat ianitor carceris, carnifex praetoris, mors  
7 terrorque sociorum et civium Romanorum, lictor Sextius, cui ex omni gemitu  
8 doloreque certa merces comparabatur. “Ut adeas, tantum dabis; ut cibum tibi

9 vestitumque intro ferre liceat, tantum.” Nemo recusabat. “Quid? Ut uno ictu  
10 securis afferam mortem filio tuo, quid dabis?” Etiam ob hanc causam pecunia  
11 lictori dabatur. O magnum atque intolerandum dolorem! Non vitam liberum, sed  
12 mortis celeritatem pretio redimere cogebantur parentes.

### *Aantekeningen*

- regel 1* **Includuntur** *Vul als onderwerp aan: de scheepskapiteins*  
**supplicium** dag van de terechtstelling  
**sumitur** *Vul als onderwerp aan: een meedogenloze behandeling*
- regel 1-2* **sumo de** geven aan
- regel 3* **Patres hi** *Zij waren namelijk bij het proces aanwezig*  
**limine** *namelijk van de gevangenis*
- regel 5* **liberum = liberorum**  
**nisi ut** behalve dat
- regel 5-6* **postremus spiritus** het uitblazen van de laatste adem
- regel 6* **ore excipio** + *acc.* aanwezig zijn bij  
**Aderat** *onderwerp* **lictor Sextius** (*regel 7*)
- regel 6-7* **ianitor t/m Romanorum** *bijstellingen bij* **lictor Sextius**  
(*regel 7*)
- regel 6* **praetor** stadhouder
- regel 6-7* **mors terrorque** gevaarlijke kwelgeest
- regel 7* **socius** bondgenoot
- regel 8* **merces** winst  
**comparor** voortvloeien
- regel 8-9* “**Ut t/m tantum**” *Dit zijn woorden van Sextius*
- regel 8* **Ut adeas** *Vul aan* **ad filium**  
**tantum dabis** betaal je zoveel
- regel 9* **tantum** (betaal je) zoveel
- regel 9-10* “**Quid t/m dabis?**” *Dit zijn woorden van Sextius*
- regel 9* **Quid?** Hoe denk je over het volgende?
- regel 11* **O t/m dolorem!** *In uitroepen gebruikt het Latijn de accusativus*  
**liberum = liberorum**
- regel 12* **pretio redimo** + *acc.* betalen voor